



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. LXVII. Præstationum multo tempore non exactarum: an modò earum  
usus revocari possit, qui olim viguisse ex scheda recens reperta colligitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

ptum ob aliquam circumstantiam licite præstari non potest; nam voluntas Testatoris supponitur esse rationalis. §. Denique si urgeat aliunde necessitas commutandi, nec adiri Summus Pontifex possit.

Ita Monet. *de Commutat. ultim. volunt. c. 5. n. 348.*

Ubi num. 352. ampliatur hoc, & vult procedere etiam casu, quo adiri Nuntius, vel Legatus etiam à Latere posset. In his Casibus, & in aliis quibuscunque, in quibus Episcopus commutare ultimas voluntates de Jure communi potest, commutare etiam illas potest Capitulum Sede Episcopali vacante.

Ex his ad Quæstionem propositam patet

Responsio: dicendum, si pecuniæ hæc à Parrocho demortuo per Testamentum fuissent legatæ ad certas Causas pias, Sacerdotem hunc non posse intentionem Testatoris commutare in aliud, etiam æquale vel melius; nam voluntate Testantis, si rationalis ea sit, ut dixi, standum est tanquam lege. Hoc autem non est factum in Casu nostro; nam de Consilio solum Confessarii, qui obligationem novam imponere non potuit, sed tantum antiquam declarare, Næviam pecunias istas ad Sacerdotem hunc detulit, ut se liberaret re aliena, non verò, ut eum obligaret in conscientia ad tantum legendas Missas.

## CONSILIUM LXVII.

### In Causa Præstationum multo tempore non exactarum.

#### SUMMARIUM.

1. Facti Species.
2. Dubium, quis possit imponere munera Patrimonialia.
3. Liberi status Imperii possunt imponere.
4. Status mediati per se loquendo non possunt, nisi id habeant ex Privilegio, aut legitima consuetudine.
5. 6. Adjudicatur Parthenoni Jus imponendi Præstationes.
7. Dubium de Aauthoritate Instrumenti privati.
8. Scriptura privata ex Archivo publico producta plenè probat, secus si ex Chartophylaciis privatis desumatur.
9. Scriptura confecta per Officialem publicam super pertinentibus ad officium suum, plenam fidem facit.
10. Fides Instrumenti infringi potest per Testes.
11. 12. Adstruitur fides Scripturæ Quæstionis.
13. Dubium de Præscriptione Exemptionis à Præstationibus.
14. Contra Tributa in signum subjectionis Principi debita non currit Præscriptio.
15. Immunitas ab aliis Collectis potest præscribi.
16. In Casu presenti non est locus Præscriptioni.
17. Deciditur tota Controversia.

#### FACTI SPECIES.

**A**nne annos circiter decem vel duodecim in Illustrissimo Parthenone quodam, qui liberis Imperii Statibus accensetur, introducta, vel renovata est Consuetudo, qua Præstationes quædam à nonnullis dicto Parthenoni subjectis exiguntur, ubi hi aut vendunt, aut commutant Bona Immobilia Jurisdictioni ejusdem subjecta. Occasio introductæ, vel renovatæ hujus consuetudinis fuit Schediasma eo tempore inter alia Parthenonis acta repertum. Scriptum hoc fuit Anno 1646. à Sub-Præfecto Pagi D. tunc in Officio existente, qui proin per illud (ignoratur, an spontè sua vel de hoc legitime interrogatus) testabatur, incolas hujus pagi ab antiquo, & immemoriali tempore obligatos fuisse dare certas Præstationes, in Venditione Villæ, prati, domus, in contractu Sponsalium &c. videlicet quas-

dam Mensuras Vini distribuendas inter Abbatissam, Domicellas, & Præfectos. Hoc Schediasma, cum inter Acta, ut relatum est, à demortuo Præfecto inventum fuisset, ostensum fuit Reverendissimæ, quæ ad Jus quæsitum conservandum, imperium dedit, ut deinceps hæc peterentur. Hoc Imperium etiam executioni datum est, quamvis in principio cum multa subditorum protestatione, quod dicerent novam rem esse, & de qua nec Antiquissimi illorum quidquam sciverint, nec à Parentibus suis unquam audiverint. Quin adsunt duo Rustici proveci præ aliis senii, qui in vim Juramenti sunt contestati, nec ante annum Millesimum Sexcentissimum quadragessimum Sextum, nec post illum, traditæ jam Schedi ista, ab illius temporis Præfecto, aut suo, aut Parthenonis nomine, etsi sedecim adhuc annis supervixisset; quidquam petitum: quod signum videtur esse, etiam ipsorum Testimonio Subpræfecti B. fidem adhibere ausum non fuisse timore violandi Consuetudinem suam.

QUÆ

## QUÆRITUR I.

*Utrum Præstationes istæ à Subditis bonæ, & iurâ Conscientiâ peti, & accipi possint?*

2. Rationes dubitandi.

Ratio dubitandi est 1. Quia munera patrimonialia, inter quæ etiam Præstationes istæ videntur connumerari debere, non imponuntur, nisi à Majestate.

*L. 8. C. de excusat. muner. l. 11. C. de superindicto.*

Et ratio est, quia ad Regalia pertinent.

*L. 2. Feud. tit. 56. c. un.*

Igitur solum illi collationes istiusmodi, aut Præstationes possunt imponere, qui Superiorem in temporalibus non agnoscunt, agnoscunt autem liberi Status Imperii, inter quos est Illustrissimus noster Parthenon, Superiorem sibi Imperatorem. Ergo. 2. Non potest in hoc genere Præstationum Parthenon supra laudatus plus, quam alii Status Imperii, ejusdemque Principes. Atqui hi solum adhibito consensu Statuum Provincialium eas indicunt subditis: imò etiam Imperator juxta tenorem Capitulationis collectas non indicit, nisi adhibito Procerum, Statuumque consensu. Igitur ut memoratus Parthenon dictas Præstationes possit indicere, videtur requiri Subditorum consensus, qui tamen, ut in Casu ponitur, super hac indicatione solenniter sunt protestati, tanquam de re nova, & onere primum invento. 3. Si Parthenon Jus aliquod habuisset, aut haberet ad petendas, & exigendas ejusmodi Præstationes, petita istæ fuissent à Subditis istis saltem post traditam à Subpræfecto Schedam, & depositum ab eo Testimonium de obligatione ab antiquo, & immemoriali tempore.

Atqui ut iterum in Casu ponitur, Præfectus, qui tunc erat, & cui hæc Scheda erat tradita, etsi sedecim adhuc annis supervixerit, nomine Illustrissimi Parthenonis nihil unquam hujusmodi petiit, ut duo Testes, quemadmodum rursus in Casu dicitur, in vim Juramenti sunt contestati. Ergo. Faciunt difficultatem non levem hæc Argumenta, quæ tamen tota ex eo videtur pendere, penes quem sit positum Jus exigendi ejusmodi Præstationes? Fons duplex Juris istiusmodi Præstationes exigendi potest esse, scilicet Jus Ordinarium, & Consuetudo legitime præscripta.

3. Conclusio 1.

DICO 1. Jure Ordinario imponere hujusmodi Præstationes, Tributa, Vectigalia, Collectas &c. possunt omnes illi, qui Superiorem in temporalibus non habent, aut saltem quoad Administrationem sui Regni, & Tributorum Impositionem non recognoscunt.

*Molin. de Justit. tr. 2. D. 666. n. 1.*

Et Ratio est manifesta; nam his Regalia competunt, inter quæ, ut *Num. preced.* dictum est, etiam sunt Vectigalia, & aliæ Præstationes à Subditis peti solitæ. Possunt ergo

1. Præstationes hujusmodi imponere Imperator, & Reges non subiecti Imperio, ut omnibus clarum est: & hoc pro toto Imperio, & toto Regno. 2. Duces, Marchiones, Comites &c. qui sunt liberi Status Imperii; nam hi in suis Terris videntur esse Principes, & omnia ibidem possunt quoad Subditos suos, quæ possit ipse Imperator, ut notant

*Paul. de Castr. cons. 34. n. 5. vol. 2. Jason. Consil. 227. n. ult. in fine. vol. 2. Welenb. Conf. 40. n. 44. Gaill. l. 2. obs. 57. n. 7. & l. 1. de pac. publ. c. 6. n. 10. ibi: Quod quilibet Princeps &c.*

Potest autem Imperator, ut dictum est, in Imperio exigere ejusmodi Præstationes, & Vectigalia, Collectas &c. ergo etiam prædicti hoc poterunt; nam in hoc Jus Regium, & Imperatorium habent, ut præter cetera advertit

*Az. p. 3. l. 5. c. 18. q. 1. vers. deinde quares.*

3. Id ipsum dicendum est de Civitatibus Imperialibus, immediate Imperatorem recognoscentibus; nam hujusmodi Civitates in suo Districtu, & Territorio Jura Principis habent, & vicem Principis obtinent per

*Textum l. prohibere. 3. §. planè. 4. & sequ. ff. quod vi, aut clam, & docent Abb. in c. quod in Ecclesiis. n. 6. de Constit. Alexandr. in l. 4. n. 24. ff. de re judic. Afflict. decis. 36. n. 5. Bartol. in l. infamem. n. 14. ff. de public. judic.*

ubi dicit, Civitatem liberam tantum posse in suo Populo, quantum Imperatorem in Imperio.

*Bald. Consil. 534. n. 2.*

Ubi ait, communem esse Sententiam, quod de Civitate non recognoscente Superiorem, judicandum, sicut de Principe.

*Gaill. l. 2. obs. 57. n. 7. repetens id esse ex communi Doctorum Sententia.*

Confirmat id Praxis Civitatum Imperialium, quæ passim Subditis non minus, ac Principes Tributa imperant.

DICO 2. Civitates inferiores, seu Municipales, hoc est, mediatè Imperio subiectæ (& idem dicendum de aliis omnibus ita subiectis) per se loquendo, imponere Tributa nequeunt; possunt tamen ex Privilegio, vel Consuetudine legitime præscripta. Pars 1. aperte colligitur

*ex t. innovamus. 10. de Censibus. c. super quibusdam. 26. de verb. signif. l. vectigalia. 10. ff. de Publican. l. 2. & 3. c. vectig. nova instit. non poss.*

Et Ratio est, quia Civitates istæ, & Status locò privatorum sunt, & habentur. Pars altera, quod ex Privilegio, & Principis facultate imponere Tributa etiam ipsæ possunt, quantum eis fuerit permissum, ex iisdem Juribus liquet. Quod verò etiam ex consuetu-

fuetudine legitimè præscripta obtineri Jus imperandi tributa, & alias Præstationes exigendi possit, passim concedunt DD. Dubium solum est de tempore, quantum id esse debeat, ut dicatur completa Præscriptio?

Mol. *tr. 2. D. 75. n. 24.*

Docet ejusmodi Imperationes adversus subditos præscribi spatio decem annorum inter præsentés, & viginti inter absentes cum titulo tali, qui bonam fidem prudentis arbitrio argueret ex parte Domini. Rationem dat, quia hoc tempus, cessante mala fide præscriptentis, ad præscribendum cum titulo adversus privatos, quales sunt subditi respectu Dominorum, sufficiens est.

Confirmatur. Nam immobilia titulo interveniente præscribuntur hoc tempore, ut expressè habetur

*§. 1. Inst. de Usucap. & longi temp. præscript. l. cum in longi. ult. C. de præscript. long. temp. l. si quis emptiois. C. de præscript. triginta Ann.* Et tradit Gratian. *in c. placuit. 16. q. 3. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 12. n. 1.*

Atqui nomine rerum immobilium comprehenduntur etiam Jura, & actiones ad immobilia: item Censùs, Reditus, Servitutes &c. uti cum communi DD. notat.

Vallens. *§. 6. n. 9. de præscript.*

Major difficultas est, quando Jus exigendi Tributa, & alias Præstationes præscribatur sine titulo? Igitur cum Jura, & actiones ad immobilia, ut mox dictum est, comprehendantur etiam ipsa sub nomine immobilium, etiam ipsa, & consequenter etiam Jus exigendi tributa præscribentur hoc tempore sine titulo. Antecedens constat

*ex c. Sanctorum. 3. de præscript. Item l. sicut in rem. 3. & l. si quis emptiois. 8. §. quod si quis. 1. C. de præscript. triginta, vel quadraginta Ann. & tradunt DD. communiter.*

Et ratio est, quia tempus triginta annorum in Jure jam longissimum esse dicitur; nam decennium, & vicennium longum appellatur, ut constat ex

*l. cum in longi. ult. C. de præscript. long. temp.*

Sed his non obstantibus dicendum: ad præscribendum Jus vectigalium, & similiarum rerum, quas Supremus Princeps sibi ratione suæ dignitatis reservavit, sufficit, & requiritur consuetudo antiqua, seu talis, de cuius initio nulla extat memoria. Ita habetur

*c. super quibusdam. §. praterea de V. S. ibique docet Abb. num. 1. Covar. ad Reg. Possess. p. 2. §. 4. n. 5. Mol. D. 75. circa fin. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 14. n. 6.*

Quòd sufficiat tempus immemorabile, probatur; quia ex tanto tempore præsumuntur intervenisse omnia ad præscriptionem necessaria (excipe, nisi aliunde sint conjecturæ sufficientes de mala fide.) Igitur modò probetur, quòd ex consuetudine immemo-

*R. P. Schmalzgrneber Conf. Tom. I.*

riali consueverint tributa aliqua exigi, legitimè imposterum recipientur, etsi non constet de facultate Superioris ad illud: Ratio est, quia possessio immemoralis vim tituli habet, cum persona capax est possidendi, ut colligitur ex

*L. 2. ff. de ag. pluv. arcend. ibi: vetustas semper pro lege habetur, & l. ult. ff. eod. ibi: Quibus Auctoritatem vetustas daret, licet Jus non probaret, & c. 1. de præscript. in 6.*

Censebitur autem possessio excedere memoriam hominum, si excedat centum annos.

*L. an usufructus. ff. de usufr. l. fin. Cod. de SS. Eccles.*

Quòd verò requiratur tempus immemorabile ad præscribendum sine titulo, inde ostenditur, quia quoties adversus præscribentem adest Juris præsumptio, necessarium est tempus immemorabile ad præscribendum sine titulo, ut probat textus

*c. 1. de præscript. in 6.*

At adversus Dominos, qui Jus Ordinarium ejusmodi Præstationes imperandi non habent, est Juris præsumptio, quòd per violentiam hujusmodi præstationes extorserint,

*L. ult. §. si isto. ff. quod metus causa.*

Ergo dicendum, non minori tempore Jus illa recipiendi præscribi absque titulo adversus subditos, quam de cuius initio non sit memoria: idque tum solum, quando alioquin fama, & indicia urgentia non sunt fuisse per injuriam, & injustitiam extorta; nam eo dato neque tempore immemorabili fit præscriptio, quippe cum malæ fidei Possessor ullo tempore non præscribat. Hinc patet responsio ad rationem dubitandi allatam; nam triginta anni ad præscribendum sine titulo sufficiunt, quando præscribenti Jus non resistit; at cum resistit præscribenti Jus, requiritur tempus immemorabile: imò eo casu, quo Jus præscribenti resistit, non improbabile est, imò longè veriùs, etiam ad præscribendum cum titulo requiri tempus quadragenarium, ut habet Pal. *l. cit. cum aliis.*

DICO 3. Potest Illustrissimus Parthenon à Subditis bonâ Conscientiâ petere, & accipere Præstationes, quas justa causa, vel consuetudo legitimè præscripta exigendas suadet. Sequitur ex dictis, nam in genere Præstationum, Vectigalium, Collectarum &c. laudatus Parthenon non minus potest, quam quantum possunt Civitates Imperiales, & alii Status Imperii liberi, & immediati. Sed hi possunt ex justa causa ejusmodi Præstationes petere, & acceptare à suis Subditis: Igitur etiam Parthenon, quem causa ista attingit, hoc poterit. Major patet; nam non minus hic immediatè subjectus est Imperatori, quam alii Status. Igitur si ob hanc libertatem ipsis Jus collectandi competit, etiam competit huic Parthenoni. Minor liquet ex Num. 3. ubi ostendi liberis Imperii Statibus erga subditos suos competere eam potestatem, quæ Imperatori competit erga Imperium.

5.  
Conclu-  
sio 3.

Tttt

um.

um. Dixi *quas causa justa exigendas suadet*; nam omnium Sententia ad imponendas de novo Gabellas, aut similes alias Præstationes requiritur causa justa, qua cessante, nisi consuetudine legitime præscriptum sit, etiam ipsæ cessare debent. Causæ autem ejusmodi plures esse possunt; possunt enim ejusmodi Præstationes exigi in signum subjectionis, in recognitionem tutelæ, & defensionis, pro confirmatione contractus, pro expediendis Literis Emptionis, pro Sigillo, pro investitura, pro parte Canonis, pro Angariis, &c. Iste causa, præsertim si plures conveniant, & exactio Præstationum non sit excedens, ejusmodi Præstationes justificant. Addidi *vel consuetudo legitime præscripta*; nam hæc Jus tribuit, præsertim si immemorialis sit, ubi hanc alleganti nec causam, nec titulum ostendere opus est; & ratio est, quia ipsa Possessio immemorialis inducit præsumptionem tituli, ut ostensum est *Num. præced.* Hoc autem intelligi debet per se loquendo; aliquando enim expediet titulum unà cum probatione hujus diuturnæ possessionis allegare, nimirum casu quo neutrum illorum sufficienter probatur, ut sic ex probatione utriusque integra probatio confurgat, sicut bene advertit *Pal. rr. 31. D. un. p. 22. §. 12. n. 8.*

6.  
Responde-  
tur ad ra-  
tiones op-  
positas.

His ita probatis facilis est Responsio ad Argumenta, & rationes dubitandi allatas in contrarium. Ad 1. Patet ex *Num. 3.* quod Jus collectandi, & certas Præstationes exigendi competat etiam liberis Imperii Statibus, & consequenter etiam Parthenoni. Neque obest, quod Superiorem sibi agnoscant Imperatorem; nam hæc subjectio Jus collectandi non tollit, ut patet in Principibus Imperii, qui etsi non minus subiecti Imperatori sint, quam alii Status, Jus tamen collectandi habent. Ad 2. Consensus subditorum solum requiritur, ubi vel per Constitutiones Imperii, vel per particularia Regiminum Statuta ita est constitutum, non verò ubique: habetque hæc praxis passim usitata, neque enim interrogantur subditi, cum Præstationes sunt imponendæ, sed tantum attenditur justa causa, vel necessitas. Ad 3. Inprimis dubia esse potest fides duorum citatorum Testium, utpote testificantium in propria sua causa, & quidquid sit, salva etiam deponentium veritate, causam fortasse, quod tanto tempore etiam post exhibitam à Subpræfecto B. schedam nihil fuerit exactum à subditis, dederunt miseræ illius temporis. Sub annum Millesimum Sexcentissimum quadragesimum sextum currebat ad finem Bellum Suevicum, fatale Germaniæ Universæ, & quò magis ad finem properabat, eò indigentiores ob temporis diuturnitatem facti sunt subditi: poterat ergo contigisse, ut Reverendissima Antistita subditos miserata, tunc benignè remiserit ad tempus obligationem istam. Quo fieri potuit, ut hac fortè mortua post aliquot annos, & defuncto etiam Præfecto, ac Subpræfecto B. qui indicium obligationis dederat, & schedam

hac aliis Actis commixtâ, nemo fuerit, qui scientiam obligationis istius habuerit. Quare omiſſa hoc tempore exactio istiusmodi Præstationum, nisi interea completa sit præscriptio, de qua ad *Quæst. 3.* derogare Juri Parthenonis non poterit, neque impedire, ut non deinceps petere istiusmodi Præstationes possit, præsertim si in aliis suis Dominis illas petat, & eas petere in Suevia etiam alii Status Imperii immediati soleant; nam ut bene

*Gaill. l. 2. obs. § 2. num. 18.*

Ad decidendas Controversias in Materia Penſitationum, sive Collectationum omnium maxime consideranda, & observanda est antiqua Consuetudo regionis, & loci, ubi imponuntur hujusmodi Collectæ: habetque hoc etiam fundamentum in Jure

*L. si publicanus. 4. §. fin. ff. de publican.*

Ubi dicitur, quod in Vectigalibus omnibus Consuetudo spectari solet; &

*L. Imperatores. 13. ff. de pollicitation. in fin.*

Ubi dicitur, tolerabilia esse, quæ vetus consuetudo comprobavit.

## QUÆRITUR II.

*An scheda à Subpræfecto B. exhibita Illustrissimo Parthenoni sufficienter probet, & pro Authentica agnosci possit, us ex ea doceatur Antiqua Consuetudo?*

Ratio dubitandi est 1. Quia ab eo scripta est, qui cum immixtum indicio habuerit proprium commodum, eoque & ipse partem exinde habeat, videtur merito suspectus esse. 2. Quia Scriptura hæc nec nomen Scribentis, nec Testes subscriptos, ne etiam Sigilli munimen habet; quæ requiritur videtur, ut Instrumenta privata probent. 3. Contrarium testantur subditi, nempe quod nec ipsi aliquid unquam dederint, nec à Parentibus audiverint, aliquid in hujusmodi Contractibus unquam petitum. aut datum fuisse: quod cum duo ætatis provecæ Senes in vi Juramenti testificati sint, horum Testimonio fides Scripturæ à Subpræfecto B. oblatæ, tanquam unius, & singularis Testis elidi videtur. In contrariam partem pro valore Scripturæ pugnat 1. Quia fuit relata in Archivum ad Acta. Igitur habebatur jam tum pro tali, cui fides dari merito possit; aliàs asservata, & inter cætera Acta Authentica custodita non fuisset. 2. Quia scripta est ab Officiali publico, cui in iis, quæ pertinent ad Officium suum, credi debet. 3. Quia justificatur ex parte materiæ, cum sit de illo objecto, quod aliàs Juri conforme est, nempe de hujusmodi Præstationibus, quas *Num. 3.* diximus, à liberis Imperii Statibus ex causa, vel Consuetudine legitime præscripta, subditis suis imponi posse.

Ante-

Præsupponenda.

Antequam ad Quæsitum respondeam, de Instrumentis privatis, qualis est hæc Subpræfecti Scriptura, tria dubia sunt resolventa. 1. Quam fidem habeant Scripturæ privatae repertæ in Archivo? 2. Quid probent, si confectæ sint ab Officiali publico in re pertinente ad ipsius Officium? 3. Quomodo elidatur fides Instrumenti per testes deponentes Contrarium Instrumento?

8.

Ad 1. Respondeo distinguendo inter Archivum publicum, quod propriè dictum Archivum est, & inter Archivum privatum, quod solum impropriè Archivum dicitur. Archivum publicum est locus publicè Authoritatè Superioris, vel Magistratùs habentis potestatè condendi leges erectus ad hunc finem, ut in eo tabulæ, & Instrumenta publica asserventur. Archivum privatum est, quod non est erectum Authoritate publica, ut sunt Archiva, quæ in Religiosis Conventibus, vel ab aliis Inferioribus Dominis eriguntur. Hæc rectius appellantur Charthophylacia. Si Scriptura privata producatur ex Cancellaria, vel ex Archivo publico, in quo solum asservari solent Scripturæ Authenticæ, plene probat. Ita habetur

*Authent. ad hæc. c. de fide Instrum. & ibi Glossa V. Testimonium publ. junct. Gloss. Margin. Abb. in c. 2. num. 6. tit. eod. Felin. ibid. n. 9. Mascard. de Probat. Concl. III. n. 9. Barb. in c. ex Epistola. 1. n. 12. de Probat. & in c. scripta. 2. de fide Instr. Haun. de J. & J. tom. 5. tr. 4. num. 493. & seqq. Pirh. de fide Instr. n. 33. König ibid. n. 42.*

Ratio est, quia est per hoc, quod ponatur in Archivo publico, non fiat secundum se publica, ut illa est, quæ confecta est per Notarium publicum, fit tamen per hoc Authentica, & vim publici Testamenti accipit tum ratione loci, quod recondita asservitur in Archivo Curia, tum ratione Personæ, quia per publicum, & juratum Officialem, seu Ministrum est registrata, cui ex officio incumbit, ut non nisi Scripta, seu Literæ, quæ fidem merentur, inter Scripturas Archivi reponantur. Atqui si vim publici Testamenti accipit, non minus probat, ac fidem facit, ac reliquæ Scripturæ publicæ, & Authenticæ: hæc autem per se loquendo faciunt plenam fidem de eo, quod dispositivè continent: ergo. Dixi quod dispositivè continent; nam quæ in illis enuntiativè, aut incidenter dicuntur, non probant in præjudicium tertii, nisi in antiquis, quæ centesimum annum excedunt.

*c. cum causam. 13. de Probat.*

Addidi per se loquendo, intellige, nisi contrarium probetur.

*L. cum precibus. 18. C. de Probat.*

Potest enim in Ministris publicis fraus, vel error intervenire, qui proinde si ostendatur per Testes contrarios duos, vel tres, aut per aliud Instrumentum contrarium, tum fides cessat, ut bene advertit

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. 2.

Wagner. in c. 1. de fide Instrum. not. 1. At si Scripturæ privatae depromantur ex Charthophylaciis Monasteriorum, Civitatum, Collegiorum, aut inferiorum Dominorum, qui Jus Archivi non habent, ut bene notat Zypæus *Consul. l. 2. Consul. un. de fide Instr.*

ex titulo Archivi nullam Authoritatem participant, sed tantam præcisè fidem faciunt, quantam facerent illi, qui tales Libros, vel Instrumenta scripserunt. In rebus alienis, ut cum unus subditus tales Libros allegat, & producit contra alterum, vel etiam contra ipsum Dominum, eisdem creditur.

*Jalon in l. admonendi. 31. ff. de Jurejur. num. 137. Baldus, & Salicet in l. Exemplo. 7. C. de Probat. Wesenbec. in Paratit. de fide Instrum. n. 6.*

At si Monasterium, vel Domus territorialis vellet producere tales Libros à se, vel à Majoribus suis conscriptos pro se, & ad probanda Jura sua, regulariter talibus Libris non creditur per

*Text. l. 7. cit. ibi:*

Exemplo perniciosam est, ut illi Scripturæ credatur, qua aliquis sibi ipsi Creditorem constituit: quod maxime verum est, si Civitas, vel Dominus contra homines, non subditos, & extra territorium existentes talibus Scripturis uti velit secundum Baldum *l. cit. num. 1.* Et ratio est, quia respectu extranei Civitas, & Respublica censetur Jure privatorum, & consequenter ejusmodi Scripturæ tanquam merè privatae non probant. Contra subditum autem duobus saltem casibus fidem faciunt. 1. Si tales Libri communiter pro Authenticis habeantur, & passim ad eos in dubiis recurratur ab ipsis subditis. 2. In factis antiquis, & hominum memoriam excedentibus. Ita

*Wesenbec. l. cit. Engel de fide Instrum. num. 21. König ibid. n. 43.*

Ratio est, quia in priore casu authoritatem Scripturæ dat Consuetudo, & in antiquis universim propter difficultatem probationis, leviores probationes acceptantur.

Ad 2. Respondeo Scriptura confecta per Officialem publicum super pertinentibus ad Officium suum non est quidem publica, cum non sit confecta ab habente ratione Officii publicam Authoritatem consiendi Instrumenta, est tamen Authentica, & consequenter publicam, & plenam fidem facit, modo sit confecta de iis, quæ ad Officium illius pertinent per

*Textum c. post cessionem. 7. de probat. Hiltrop. process. judicial. p. 3. tit. 10. num. 21. Pax Jordan. l. 14. de re judicial. tit. 20. n. 71. Wagner. in Rabr. vers. unde sequitur. propè finem. de fide Instrument. Haun. de J. & J. tom. 5. tr. 4. n. 497. & seqq.*

Ratio est, quia testatur de Officio suo proprio; unde meritò eidem fides conceditur. Atque hinc deducunt 1. DD. vim probandi

Titt a

di

di habere Libros Parochiales baptizatorum, & defunctorum, Libros opificum &c.

König l. cit. n. 46.

2. Est Authenticum, & plenam fidem facit documentum Judicis circa pertinentia ad suum Officium.

Hiltrop. l. cit. tit. 13. n. 1.

3. Extenditur ob paritatem rationis ad quamcunque Personam publicam, attestantem per suas Literas de iis, quæ concernunt suum Officium, ut istis plena fides habeatur.

Hiltrop. l. cit. & probat. optimè L. quædam. 9. §. nummularios. 2. ff. de edendo.

4. Id ipsum Pax Jordan. l. cit. num. 72. extendit etiam ad eos, qui deputantur ad Gabellas, vel Collectas Authoritate publica, ut probent etiam per se: & Num. 73. idem dicit de libris Massariorum, seu Villicorum alicujus Castri, Villæ, aut Communitatis. Dixi Scriptura confecta per Officialem publicum; nam si Scriptura non sit alicujus Officialis publici, videndum, an aliquo adminiculo munita sit e. g. Testium subscriptione, appensione Sigilli, nomine scribentis, tempore scriptiois &c. Si his omnibus adminiculis munita sit, & testes in Testimonio suo perseverent, eidem creditur, quia etiam testibus crederetur sine Scriptura. Si uno saltem, aut altero ex his munita sit, per se nec plenam, nec semiplenam fidem facit, inducit tamen præsumptionem, seu conjecturam aliquam. Ita

Bartol. in l. admonendi. cit. num. 26. Abb. in c. 2. de fide Instrum. n. 2. Covarr. practic. quæst. c. 22. num. 6. Pirh. de fide Instrum. n. 24.

Ratio est, quia quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus.

C. fin. de præsumpt. c. un. de scrutin. in Ordin. faciend. l. omni modo. C. de inofficios. Testam.

Item non est verisimile quempiam falsam fecisse Scripturam, cum deberit timere poenam falsi, & scire potuerit, quod illi soli fides non sit adhibenda. Quare nec nos illius fidem omnino annullare debemus: non tamen adhibenda est fides omnino plena, quia solum Testis est singularis. Excipe, nisi aliunde fomentum, vel supplementum tale accipiat, ut fiat Scriptura Authentica. Talia adminicula

Teste Vallens. de fide Instrum. n. 5.

sunt, quod vir scribens sit bonæ opinionis, & famæ, & solitus sit semper scribere veritatem, quod sit vir legalis summa præditus integritate, & Scriptura contineat verosimilia: addit

Laym. in c. 2. de fide Instrum. n. 9.

Si Scriptura, cui nomen Titii subscriptum, vel sigillum impressum est, sit antiqua.

IO. Ad 3. Cum ex una parte producitur Instrumentum, ex altera Testes ad reprobandum hoc Instrumentum, communitis opinio est, Judicis arbitrio committendum, num Instrumento, an duobus, vel tribus

testibus de contrario deponentibus adhibenda sit fides major. Ita

Bart. in l. in exercendis. 15. C. de fide Instrum. n. 14. Abb. in c. cum Joannes. n. 13. eod. Menoch. de arbit. Judic. cas. 105. n. 42. Mascard. de Probat. Concluf. 919. num. 10. Pirh. de fide Instrum. num. 73.

Ratio est, quia ut l. cit. Pirh. quædam per testes melius probantur ut consanguinitas, adulterium &c. Quædam contra commodius per Instrumenta velut acta judiciorum, res antiquitus gesta &c. Hinc universalis regula dari non potest, nec semper concedendum Instrumentis contra testes nec semper deferendum testibus contra Instrumenta. In dubio tamen, & pari probationis causa standum potius est, & fides habenda Instrumento alioquin non suspecto, ( præsertim si antiquum sit) quam testibus, ut notat

Menoch. l. cit. num. 43. Covarr. l. 2. var. c. 13. n. 11. conclus. 1. Mascard. l. cit. & colligitur ex l. optimam. 14. C. de contrab. & committend. stipulat. & c. cum Joannes. cit.

Dum enim dicitur Instrumentum tribus, vel quatuor testibus idoneis de contrario deferentibus non præferri, satis indicatur duobus saltem testibus omnimodè præferendum esse. Quare ut elidatur fides Instrumenti Authentici per testes contrarium deponentes, necesse est, ut ij sint undique idonei, & omni exceptione majores, quique liquidis, & manifestissimis probationibus ostendant contrarium, ut ait l. optimam. cit. Ex his patet ad Quæstionem n. 7. propositam.

DICO: Fidem meretur Scriptura à Subpræfecto B. exhibita Illustrissimo Parthenoni; imprimis enim, ut suppono, est scripta ab homine bonæ opinionis, & famæ, de re, quæ ad Officium ipsius pertinebat, tanquam Officialis Publici, & jurati. 2. Continet verosimilia, nam ut n. 3. dixi, liberis Imperii Statibus competit Jus ordinarium collectandi. 3. Est antiqua, utpote jam ante annos sexaginta scripta. 4. Denique est inventa in Chartophylaciis Illustrissimi Parthenonis cum aliis Scripturis authenticis, inter quas nequaquam fuisset relata, si agnita fuisset pro tali, quæ fidem non meretur. Hæc omnia, ut à n. 8. constat, probant Chartam hanc, seu Scripturam cum his circumstantiis fidem facere: Ergo. Optimè igitur probant Rationes n. 7. pro parte affirmativa allatæ. Rationes dubitandi propositæ eodem numero in contrarium efficaces non sunt.

Ad 1. Etiam Rustici hi duo, dum contrarium testantur, in proprium testantur commodum: Unde per hoc eliditur Probatio contra nostram Assertionem, & aliunde decernendum, quænam Assertio sit fide dignior. Talis autem est Assertio Subpræfecti, utpote quæ ex ipso Jure, administratum

II. Relatus Quæstio.

12. Respondetur ad rationes oppositas.

culum habet. *Ad 2.* locò nominis adscripti est, quòd certò cognoscatur Scriptura ista esse de memorati. Subpræfecti manu: locò Testium autem Juris assistentia, quæ nisi per Præscriptionem legitimam derogatum eidem sit, plus valet, quam centum Testes. *Ad 3.* Quòd nihil ab ostensa hac Scriptura fuerit petitum, ut *n. 5.* dixi, poterat alia fuisse causa; cæterum, quòd non nulla fides etiam tum adhibita fuerit, ex eo patet, quia inter Acta, seu in Archivum est reposita: & licet ejusmodi Scriptura in Archivio privato reposita non faciant fidem per se, & omnimodè, tamen, ut *n. 8.* dictum, plenam fidem faciunt, cum de antiquo sunt tempore; nam ibi minor requiritur Probatio: & nisi Præsumptio sit pro Scriptura, qualis est in Casu nostro.

QUÆRITUR III.

An non Consuetudine contraria contra Jus Præstationes hujusmodi exigendi præscriptum sit?

13. Rationes dubitandi.

**R**atio dubitandi est; quia, ut sæpius dictum est, & Subditi duo antiquiores testantur, à tempore exhibitæ etiam Scripturæ à Subpræfecto B. oblata non fuit unquam aliquid petitum. Tempus autem istud jam sunt sexaginta omninò anni: videtur autem his sexaginta annis omninò fuisse completa Præscriptio. Confirmatur. Si esset aliqua Ratio, ob quam dicatur Præscriptionem non fuisse completam, esset ista, quòd Scriptura Subpræfecti B. qua debitam hanc Præstationem testabatur, inter Acta latuit, & sic ob ignorantiam debiti Juris executioni dari non potuit. Atqui hoc nihil impedit; nam ignorantia æquè, ac scienti nocet Præscriptio, ut constat ex *c. vigilant. de præscript. & l. fin. C. de præscript. long. temp.*

Et subditur ibi Ratio, ne si admitteretur Scientia, & excluderetur ignorantia, altera dubitationis inextricabilis oriretur occasio, cum difficillimum probatu sit ignorantiam invincibilem intervenisse. Accedit, quia si ob ignorantiam Præscriptio non posset currere, vix locus esse posset Præscriptioni, cum raro homines scienter permittant sua Bona, & Jura ab aliis occupari, si id impedire possint. Pendet Resolutio hujus Quæstionis ex eo, ut decernatur, quid Præscriptio in Tributis, Censibus, & aliis hujusmodi Præstationibus possit. Atque hinc

14. Supponenda.

**D**ICO I. Tributa, & Censibus, qui in subjectionis signum Principi debentur, nullo tempore possunt præscribi, ita ut eà viâ Subditus maneat in posterum exemptus ab iis solvendis. Deciditur

*L. comperit. 6. C. de præscript. 30. vel 40. ann. & docent Abb. in c. cum nobis. 14. de præscript. n. 12. Bartol. in l. in omnibus. ff. de divers. & temp. præscript. Covarr. Regul. Possess. p. 2. §. 2. n. 8. Mol. de Just. D. 74. n. 2. & 3. Fachin. l. 8. Contror. Jur. c. 3. vers. si agatur. Less. l. 2. de Just. c. 6. n. 41. Harpr. de Usucap. & præscript. n. 220.*

Rationem dat Molina *n. 3. cit.* quia Præscriptio cum solum de Jure Civili sit introducta, non plus se extendit, quam uniusquisque Supremus Princeps in suo Regno eam suis Legibus voluerit esse extensam; atqui non est censendum, quòd voluerit eam esse extensam ad hoc, ut tollere etiam justa Tributa possit; nam hoc esset in perniciem, & detrimentum Reipublicæ. Dixi in posterum exemptus; nam si Emphyteuta non solvit Canonem ex triginta, vel quadraginta annorum spatio, præscripsisse videtur præteritas Pensiones, ut rectè

*Fachin. l. 8. c. 99. in princ. & colligitur ex l. eos. 26. C. de usuris, ibi:*

„Jubemus, non posse super Usuris, & Fructibus præteriti temporis aliquam more vere Quæstionem, dicendo ex iis temporibus eas velle sibi persolveri, quæ non ad triginta, vel quadraginta annos præteritos referuntur. „ Solum igitur Conclusio se extendit ad Pensiones futuras; nam ibi nova Præscriptio est necessaria, & quidem in singulos annos, cum singulis annis; ut *l. cit.* dicitur, earum Actiones nascantur. Neque obest, etsi à Domino Emphyteuta interpellatus non fuerit ad solvendum; nam hæc negligentia Domino nocere non potest, cum Fundamentum Obligationis non tollat, nempe Subjectionem; cui innititur hæc Obligatio. Ita

*Fachin. l. primum, cit. cui consentit Gaill. l. 2. Obs. 73.*

dum ibi scribit in annuis Præstationibus locum non habere Præscriptionem, idque multis præjudiciis in Camera firmatum.

**D**ICO 2. Immunitas, & Exemptio ab Indictionibus, & Collectis, quæ non in recognitionem Supremæ Potestatis, sed pro expensis alicujus Belli, vel simili aliqua publica necessitate solvuntur, præscribi simpliciter potest: tempus ad hoc requisitum, & sufficiens, sunt triginta, vel quadraginta anni cum Titulo, & absque Titulo, immemorale. Pars 1. est communis, & ita docet

*Pal. rr. 31. D. un. p. 22. §. 14. n. 5.*

Ratio est, quia nihil est, quod prædictæ Præscriptioni obstet. Pars 2. est ejusdem Palai Sententia *l. cit.* cui assentitur Fachin. Less. *l. cit.* probat illam ratio *num. 13.* allata. Pars 3. sumitur

*ex c. super quibusdam. 26. §. præterea. de V. S. & eam docent Bartol. in l. si publicanus. 4. §. ult. n. 1. ff. de publican. Abb. in c. cum non liceat. 12. de præscript. Bald.*

15.



Bald. *conf.* 46. vol. I. *Mynsing. centur.*  
 5. *obs.* 29. n. 11. & *seqq.* Gaill. l. 1. *obs.*  
 21. n. 15. & l. 1. *de pac. publ.* c. 6. n. 11.  
 Eckolt. in *ff.* l. 50. *tit.* 4. §. 10. Schnei-  
 devvin. *ad J. ex non scripto. Inst. de J.*  
*N. G. & C.*

Decisum etiam est Receptu Imperii de Anno  
 millesimo quingentesimo quadragesimo octa-  
 tavo, §. Und soll unser / & §. Wann auch  
 ein Aufgezogner. Ratio est, quia tempus  
 immemoriale habet Vim Privilegii, & Con-  
 cessionis,

*Arg. l. fin. de aqua plu. arcend.*

Ut probetur Temporis immemorialis Præ-  
 scriptio, necesse est, ut Testes deponant, se  
 ita vidisse semper, neque unquam vidisse  
 contrarium fuisse actum, & à Senioribus, &  
 à Majoribus audivisse semper ita factum fu-  
 isse, nec audivisse contrarium, hujusque rei  
 publicam esse famam apud eos, qui rem  
 nôsse poterant. Ita

Gloss. communiter recepta in c. 1. *de*  
*præscript. in 6. & c. quid per novale de V.*  
*s. & docent Doctores.*

Ex his ad Quæstionem n. 11. propositam pa-  
 tet Resolutio.

16.  
 Resolvitur  
 Quæstio.

DICO. Jus Præstationes hujusmodi exi-  
 gendi non est Præscriptione sublatum: Pro-  
 batur. Si completa fuisset Præscriptio ad-  
 versus Parthenonem, à Subditis B. in gene-  
 re Præstationum sæpe dictarum, tunc illa  
 vel esset Præscriptio cum Titulo, vel sine  
 Titulo? si cum Titulo, is esset vel gratui-  
 ta Remissionis, vel Compositionis, seu  
 Transactionis, quam credo assignari non  
 posse. At si assignari non potest Titulus,  
 non præsumitur Præscriptio facta cum Titulo:  
 Ergo. Si sine Titulo; deberent probare  
 Subditi tempus immemoriale, & ostende-  
 re, quod ab hominum memoria nunquam  
 fuerint turbati in pacifica possessione Exem-  
 ptionis: quod non est credibile; neque  
 enim credi potest, postquam ostensum est  
 Testimonium Subpræfecti B. quod res non  
 fuerit magis examinata, & auditi de hoc  
 Subditi: Ergo. Confirmatur. Præsta-  
 tiones istæ vel habent rationem Tributi in

recognitionem directi Domini, vel ratio-  
 nem Canonis, vel rationem Stipendii pro  
 Labore in expediendis Literis, approbando  
 Contractu &c. Quidquid ex istis fuerit,  
 Præscriptione non fuit sublatum, imò neque  
 auferri potuit, ut à n. 14. ostensum est: ergo.  
 Neque obstat ratio dubitandi n. 13. cit. allata;  
 nam ut ex hæcenus dictis patet, Jus hoc exi-  
 gendi ejusmodi Præstationes per Præscriptio-  
 nem vel omnino tolli non potest, vel si tol-  
 li potest, non nisi post tempus immemoria-  
 le sine Titulo. Ad Confirmationem: nul-  
 liam fundat se Responso super ignorantia,  
 quæ, ut bene l. cit. probatur, Præscriptio-  
 nis eursum nequit suspendere: sed fundat se  
 tum in Autoritate Doctorum, tum in Ra-  
 tionibus hæcenus allatis in toto resolutionis  
 hujus decursu.

Quare concludo ex dictis 1. Reveren-  
 tissimam Abbatissam posse in more insta-  
 rato à se ante decem, vel duodecim annos  
 bonæ conscientiæ pergere, & quod antiqui-  
 tatis juxta Subpræfecti B. testimonium pete-  
 batur, in Contractibus Bonorum immobili-  
 um petere, & accipere. 2. Pro Domicel-  
 lis Capitularibus peti, & accipi potest, quod  
 ex antiqua Consuetudine solebat dari; nam  
 unà cum Reverendissima Corpus unum faci-  
 unt, & sic verè Domina sunt, non secus  
 ac in aliis Collegiis, & Ecclesiis Cathedrali-  
 bus, vel Collegiatis Canonici. 3. Præ-  
 fectus E. & Subpræfectus B. & ipsi accipere  
 possunt, quod ab antiqua consuetudine dan-  
 dum fuit; quia hoc iis à Reverendissima at-  
 tribui poterat in partem Salarii: & sic jam  
 justificatur Titulus. Accedit, quia & ipsi  
 laborem habere debent: unde non injustum  
 est, si etiam exinde commodum aliquid  
 habeant. 4. Pro Vino in natura rectè  
 accipi potest Pecunia, in qua taxanda judi-  
 co attendendum tempus, quo non nimis  
 caro, nec nimis exiguo pretio Vinum con-  
 stat, quale e. g. sunt quindecim Crucigeri.  
 5. Etsi taxa hæc miserericorditer diminui pos-  
 sit, non tamen sine justa causa hoc  
 exigente augeti de-  
 bet.

17.  
 Deciditur  
 Contro-  
 versia.



CON-